

## CAPUT VI.

**Quomodo se gerere debeat confessarius cum poenitentibus, qui contraxerunt aliquam censuram aut casum reservatum, vel obligationem denunciandi, vel impedimentum dirimens aut impediens matrimonii.**

80. - Et I<sup>o</sup>. Quod pertinet ad CENSURAS <sup>a)</sup>.

Si quis accedat irretitus *censura aut casu reservato*, super quo confessarius facultatem non habeat, jam supra diximus, actum esse charitatis, ut confessarius adeat episcopum pro facultate obtinenda.

Jus anti-  
quum de  
censuris.

*Episcopus* autem, vi cap. *Liceat*, Tridentini<sup>1</sup> (vide *Lib. VII, n. 75*), absolvere potest omnes casus papales occultos. Et hanc facultatem potest delegare aliis confessariis, etiam generaliter, dummodo eos specialiter deputet ad hujusmodi casus absolvendos (*ibid., n. 93*), excepta haeresi et aliis casibus bullae *Coenae* (*ibid., n. 82*); nisi poenitens esset impeditus adeundi Romam; tunc enim episcopus absolvere potest ab omnibus papalibus, etiam publicis (*Lib. VII, n. 84*), et adhuc ab haeresi et aliis bullae *Coenae* (*ibid.*).

Insuper episcopi absolvere possunt ab excommunicatione ob percussionem levem clerici vel monachi, et etiam ob gravem, si percussus est mulier, ex cap. *Ea noscitur, de sent. excomm.*, et cap. *Mulieres, eod. tit.* Item ab excommunicatione propter abortum foetus animati, virtute bullae Gregorii XIV, quae incipit *Sedes Apostolica*. Item ab excommunicatione ob communicationem in eodem crimine cum excommunicatis ab eisdem episcopis. Item ab excommunicatione, quam incurrunt fratres Minores, admittentes in suis ecclesiis ad divina officia fratres tertii ordinis. Item ab excommunicatione, qua ligantur ii qui absoluti in articulo mortis ab ali-

qua censura ab episcopo reservata non se praesentant eidem, postquam convalescerint; et demum ab omnibus censuris, quas episcopi sibi reservant (*Lib. VII, n. 213*).

81. - *Regulares* autem etiam absolvere possunt *laicos* <sup>a)</sup> a papalibus occultis (*Lib. VII, n. 96*), exceptis sex casibus Clementis VIII, a quibus tamen bene possunt absolvere episcopi, quando sunt occulti, scilicet: 1<sup>o</sup> Percussionis clerici; 2<sup>o</sup> duelli; 3<sup>o</sup> violationis immunitatis ecclesiasticae; 4<sup>o</sup> fracturae clausurae monialium; 5<sup>o</sup> simoniae realis; 6<sup>o</sup> simoniae confidentialis. Facultas enim quoad casus praefatos respectu ad regulares degentes extra Romam et intra Italiam, a praedicto Pontifice est eis expresse ablata (*ibid., n. 99*).

Olim fa-  
cultates re-  
gularium.

Quamvis autem nequeant regulares absolvere laicos a casibus reservatis ab episcopis (*Lib. VII, n. 98*), possunt tamen ex probabiliori sententia absolvere a papalibus reservatis episcopis (*ibid., n. 99*), exceptis semper vero sex casibus Clementis, ut supra.

Quoad *subditos* <sup>a)</sup> vero possunt eos absolvere ab omnibus casibus Papae reservatis, etiam publicis, etiamque a casibus bullae *Coenae*, exceptis *relapsu in haeresim, falsificatione litterarum Apostolicarum, et delatione prohibitorum ad infideles*, ex concessione facta praelatis ordinis Praedicatorum et per communicationem aliorum ordinum in bulla *Pretiosus*, edita anno 1727, ubi insuper con-

Ignorantia  
excusat a  
censura,

non vero  
a casibus e-  
piscopalibus.

In jubi-  
laeo confes-  
sio sacrile-  
ga non tol-  
lit reserva-  
tionem;

neque con-  
fessio incul-  
pabiliter  
nulla.

Secus, ex-  
tra jubi-  
laeum.

Limitatio.

Confessarius im-  
ponat obliga-  
tionem denun-  
tandi  
haereticos,

cessum est Generali ordinis, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (scilicet orta ex homicidio) *dispensare cum fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum et intra claustra exstiterit consummatum* (*Lib. VII, n. 101 et 104*) <sup>b)</sup>.

82. - Notandum hic quod, si quis ignorat censuram papalem, nec ipsam nec casus reservationem incurrit, quia casus papales principaliter ob censuram reservantur (*Lib. VI, n. 580*); ad differentiam casuum episcopalium, quorum nesciens censuram etiam incurrit casum; quia episcopi principaliter casum reservant (*ibid.*); et hoc, etiamsi ignoretur casus reservatio, ut probavimus *Lib. VI, n. 581*. Caeterum nulla incurritur censura ab eo qui invincibiliter eam ignorat (*Lib. VII, n. 43*).

Item notandum quod, cum quis sacrilege in jubilaeo confessus fuerit, tunc reservatio non auferitur, ut probatum est, praesertim ex declaratione ss. Papae Benedicti XIV (*Lib. VI, n. 537, Qu. 2*). Idemque tenuimus (*ibid., v. Si autem*), si confessio fuerit invalida, loquendo de jubilaeo. Sed extra jubilaicum, si quis invalide confessus fuerit apud aliquem confessarium, qui facultate pollebat super peccatis reservatis, communis et probabilior est sententia, quod absolutus a reservatione maneat (*Lib. VI, n. 598, Qu. 3*). Estque etiam communior et satis probabilis opinio, poenitentem solutum esse a reservatione, quamvis confessio fuerit sacrilega, modo ipse culpabiliter non tacuerit specialiter peccatum reservatum (*ibid., Qu. 4*).

83. - II<sup>o</sup>. Quod pertinet ad OBLIGATIONEM DENUNTIANDI.

Advertat confessarius, quod ipse tenetur sub culpa gravi imponere poenitenti obligationem denunciandi superioribus aliquem qui serio protulerit propositionem aut blasphemiam haereticalem cum errore intellectus et pertinacia, non jam ob ignorantiam, incuriam aut lapsum linguae; nam eo casu sufficit quod poeni-

tens eum de suo errore moneat (*Lib. IV, n. 254, v. Notandum II*).

Praeterea debet imponere mulieribus aut pueris, ut denuntient confessarios, qui eos sollicitaverint ad turpia, vel cum eis inhonestos tractatus habuerint. Observa Librum, ubi distincte est haec materia discussa, *Lib. VI, ex n. 675*.

aut con-  
fessarios  
qui sollici-  
taverint in  
confessione.

Sed circa praxim, advertat confessarius: 1<sup>o</sup> in hac sollicitationis materia non esse nimis festinum in imponendo poenitenti onus denuntiationis; nam in dubio an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus injungi non debet (*Lib. VI, n. 702*); nisi cum verba aut actus ex se sollicitationem importarent, et tantum dubium verteret de intentione sollicitantis; aut si adessent vehementia indicia, esto non evidantia, sollicitationis, sine indicis in oppositum. Tunc enim illa quodammodo moralem fundant certitudinem (*ibid., v. Excipiendum*).

Sed sit  
prudens in  
judicio.

Advertat 2<sup>o</sup> ne sit facilis ad suscipiendum in se onus denuntiationis, nisi in aliquo casu raro, in quo charitas id sibi proponeret, ob magnam difficultatem, quam forte poenitens haberet adeundi superiores.

Aegre ac-  
cipiat onus  
denuntia-  
tionis.

Advertat 3<sup>o</sup> quod ipse nunquam omittere debet imponere poenitenti sollicitato hanc obligationem denuntiationis, quamvis praevideret poenitentem illam non impleturum; nam directe confessario injunctum est a Pontifice onus, ut talem obligationem intimet (*Lib. VI, n. 694*). Unde, donec poenitens eam non adimpleat, expedit quod absolutionem ei differat. Atque si confessarius dubitat an ille difficulter eam adimpleturum sit, tunc omnino absolutionem illi differre debet. Bene tamen potest eum absolvere, si poenitens est pro tunc impeditus, et firmum habet propositum denunciandi, statim ac commode potest (*ibid., n. 693*). Hujusmodi denuntiationes fieri debent saltem intra mensem (*ibid., v. Hoc tamen*).

In casu  
certo, sem-  
per praeci-  
pienda de-  
nuntiatio.

Item notandum quod a nostro Summo Pontifice Benedicto XIV (*Lib. VI, n. 491*) cuique impositum est onus denunciandi

et inter-  
dum absolu-  
tio differen-  
da.

Duplex ca-  
sus de denun-  
tiatione.

<sup>1</sup> Sess. 24, de reform., cap. 6. — Gregor. XIV, bulla *Sedes Apostolica*, § 2, diei 31 Maji 1591; in Bullar. Mainardi. — Clemens VIII, decr. S. C. Episc. et Reg., de die

26 Nov. 1602; ap. Bizzarri, Collectanea S. C. Episc. et Reg., fol. 17 (edit. Rom. 1868). — Bened. XIII, const. *Pretiosus*, § 21, de die 26 Maji 1727; bulla 177 in Bullar. Mainardi.

Bened. XIV, const. *Inter praeteritos*, § 62, diei 8 Dec. 1749. — Bened. XIV, const. *Ubi primum*, diei 2 Junii 1746.

80. - <sup>a)</sup> Quae hic dicuntur de censuris reformanda sunt juxta const. *Apost. Sedis* et recentia decreta S. O., quae reperies in notis, quae annexae fuerunt locis, ubi S. Alphonsus

de hac materia tractat. Cfr. specialiter *lib. 6, n. 585*, not. e, et *lib. 7, n. 208*, not. a.

81. - <sup>a)</sup> Hodie per const. *Apost. Sedis* sublata est haec facultas regularibus.

<sup>b)</sup> S. Doctor postea, in sexta editione Theologiae moralis, notavit hanc const. *Pretiosus* revocatam fuisse a Clemente XII. Cfr. *lib. 7, n. 396*, notam c.

confessarium, quem sciret obligasse poenitentem ad manifestandum complicem, nisi ex mera simplicitate aut imprudentia id egisset <sup>a)</sup>.

Ultimo notandum, circa sortilegia laicorum, quod hodie in nostro regno Neapolis, propter insinuationem nostri regis Caroli III, non adest obligatio illa denuntiandi, nisi cum interveniat abusus SS. Eucharistiae aut olei sancti (*Lib. IV, n. 253, in fine*).

84. - III<sup>o</sup>. Demum, quod pertinet ad IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Cum poenitens aliquod impedimentum habet, et matrimonium nondum est initum, plura distinguere oportet.

Si impedimentum est consanguinitatis, aut cognationis spiritualis, aut affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum, aut publicae honestatis, etsi esset occultum, confessarius adstringere debet poenitentem vel ad denuntiandum impedimentum, vel ad dispensationem obtinendam a Dataria <sup>a)</sup>.

Si autem impedimentum est affinitatis ex copula illicita cum consanguinea sponsae usque ad secundum gradum, modo adfuerit copula consummata cum seminatione perfecta (*Lib. VI, n. 1036 et 1075*); aut est impedimentum criminis, nimirum homicidii conjugis utraque parte conspirante, aut homicidii cum adulterio, aut adulterii cum fide matrimonii aut matrimonii attentati, prout fuse declaratum est in Libro (*ibid., n. 1033*): in his casibus, semper ac impedimentum est occultum, impetranda est dispensatio a S. Poenitentiaria. — Idemque currit, si poenitens impedimentum habeat voti castitatis aut religionis.

Si vero aliqua urgentissima adesset causa in aliquo casu raro, nempe scandalii, rixarum aut infamiae imminens, et tempus aut modus deesset recurrendi ad

Poenitentiariam, posset etiam tunc episcopus dispensare (*Lib. VI, n. 1122*). Et si neque adesset modus adeundi episcopum, observa quod dictum est in Libro, *ibid., n. 613 et supra, n. 8*.

85. - Si autem poenitens jam contraxisset matrimonium invalidum ob impedimentum *dirimens*, tunc, si impedimentum provenit ex copula licita, etiam observandus est *Lib. VI, n. 1144*. Si autem ex copula illicita aut ex crimine, et poenitens est in bona fide, et contra adesset periculum mortis, scandalii aut incontinentiae, si ipsi manifestaretur impedimentum, eo casu confessarius impedimentum ei occultare debet, et interim procurare a S. Poenitentiaria dispensationem; qua obtenta, debet patefacere impedimentum, debetque tunc diligenter secum consulere de modo quo reconvalidatio matrimonii facienda est.

Ad hanc autem reconvalidationem non quidem est necessaria assistentia parochi et testium, ut probatum est *Lib. VI, n. 1110*; sed, ut diximus *Lib. VI, n. 1115*, tenetur pars conscia impedimenti alteram certiorare de nullitate matrimonii, juxta solitam clausulam S. Poenitentiariae: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, etc.* <sup>a)</sup>. Et ideo, per se loquendo, ad hanc clausulam exsequendam non sufficit id quod aliqui DD. admittunt, scilicet dicere: *Si me non duxisses, duceres nunc? Dic mihi, te volo*; aut: *Pro mea consolatione renovemus consensum*. Semper enim talis consensus est dependens a priori qui fuit nullus. Nec sufficit copula, ut alii dicunt, etiam affectu maritali habita. Bene tamen satis erit dicere: *Nostrum conjugium invalidum fuit ob quamdam circumstantiam* (quia non est obligatio manifestandi qualitatem impedimenti); *renovemus consensum*. Aut: *Quando te duxi, non habui*

interpretatus est, in suo opere *de Synod., lib. 6, cap. 11, n. 1* (edit. Prat. 1844).

84. - <sup>a)</sup> Hodie, regulariter, a S. C. de Sacramentis. Cfr. not. c, ad *lib. 6, n. 1135*.

85. - <sup>a)</sup> Hodie S. Poenit. addere solet: « Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas, etc. ».

*verum consensum* (nam consensus nullus non est verus consensus). Aut: *Ego dubium habeo de valore nostri matrimonii; unde iterum contrahamus*. Quia tunc consensus qui praestatur, jam a priori non dependet.

Verum quando prudens timor esset, ne praefatos modos adhibendo patefieret crimen, et pericula instarent rixarum, infamiae aut scandalii, et vice versa conjux impedimenti conscius non posset excusari a debito reddendo: tunc, exsecuta jam dispensatione, sufficit quod ipse utatur aliquo ex modis supra relatis; etiamque sufficit quod ipse solus consensus ponat, cum possit in tali necessitate sequi sententiam quae docet, bene conjungi ad matrimonium convalidandum consensum suum cum consensu ab initio praestito a parte ignorante, qui per continuationem usus matrimonii aut cohabitationis virtualiter perseverat (*Lib. VI, n. 1116*) <sup>b)</sup>.

86. - Si autem poenitens haberet impedimentum *impediens*, scilicet ad non petendum debitum, causa copulae habitae cum consanguinea in secundo gradu suae uxoris, hic a tali impedimento solvi debet vel a S. Poenitentiaria vel ab episcopo aut ab aliquo confessario regulari, qui facultatem habeat a praelato sui monasterii (*Lib. VI, n. 1076, v. Insuper*). — Sed si poenitens ignoraret legem ecclesiasticam, quae ultra divinam hujusmodi incestum prohibet, tunc non incurrit impedimentum (*Lib. VI, n. 1072*). Quinimmo etiamsi legem sciret, sed talem ignoraret poenam, etiam est probabile, quod eam non incurrat (*Lib. VI, n. 1074*). Saltem si periculum exstet incontinentiae, relinquendus est poenitens in sua bona fide.

87. - Notemus hic formulas ad obtinendam a S. Poenitentiaria dispensationem in praefatis impedimentis, necnon votis aut irregularitatibus.

Circa impedimenta matrimonii intus sic scribatur:

*Eminentissime et Reverendissime Domine!*

*N. N. rem habuit cum quadam muliere, et postea sponsalia contraxit cum ejus sorore. Impedimentum est occultum, et si conjugium non fieret, plura evenirent scandala. Supplicat ideo Eminentiam Vestram, ut dignetur ei dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (aut Aversam per viam Neapolis) ad N. N. (hic exprimat nomen et cognomen) confessarium approbatum. Et Deus, etc.*

Si autem matrimonium est jam initum, scribatur sic:

*N. N. ignarus (aut conscius) impedimenti, matrimonium contraxit cum aliqua femina, cujus matrem (aut sororem) prius carnaliter cognoverat. Ideo, cum impedimentum sit occultum, et non possit separatio sine scandalo fieri, supplicat Eminentiam Vestram pro absoluteione et dispensatione. Et Deus, etc.*

Circa vota castitatis: *N. N. votum emisit castitatis, sed nunc est in gravi et imminente periculo incontinentiae. Ideo supplicat Eminentiam Vestram, ut dispensare dignetur in dicto voto, ut possit orator matrimonium inire. Et Deus, etc.* Eodem modo fere scribendum pro dispensatione in voto religionis. Et notandum quod ad dispensandum in voto castitatis non sufficit quodvis commune periculum incontinentiae, sed requiritur grave et imminens, prout innuimus.

Circa irregularitates: *N. N. sacerdos contraxit irregularitatem causa homicidii (aut abortus, aut violationis censurae, etc.); et cum adsit periculum infamiae, si abstinet a celebrando, ideo supplicat, etc.*

Foris in epistola ponatur: *Eminentissimo et Reverendissimo Domino colendissimo,*

*Domino Cardinali Poenitentiario majori.*

*Romam.*

88. - Confessarius, aut is cui dispensationis executio commissa erit, in dispen-

super affinitate ex copula illicita pro matrimonio contrahendo,

pro matrimonio inito reconvalidando.

Eadem pro dispensatione a voto castitatis.

Et pro tollenda irregularitate.

Quid, in casu necessitatis.

Matrimonio jam inito, quid in casu impedimenti dirimentis.

De reconvalidatione matrimonii.

De impedimento ad non petendum debitum.

et renovatione consensus.

Formula ad petendam dispensationem:

<sup>b)</sup> Ceterum omnis difficultas evanescit, si petitur a S. Poenit. sanatio in radice, qua Pontifex priorem utriusque conjugis consensum

vere sed nulliter praestitum, ita sanat ut matrimonium reddat validum et nullitatis effectus prorsus auferat.

Matrimonio nondum inito,

quid, in casu impedimenti, natura sua publici,

aut impedimenti occulto.

Et quid, si urgentissima necessitas.

Quomodo  
dispensatio  
sit exse-  
quenda pro  
foro inter-  
no.

sando post sacramentalem absolutionem impertitam <sup>a)</sup> sequenti formula uti poterit: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti (aut contrahere intendis), ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies (vel susceperis), legitimam declaro <sup>b)</sup>. In nomine Patris, etc.* — Si dispensatio autem est in voto castitatis, dicet: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti, in opera*

*quae tibi praescripsi dispensando commuto. In nomine, etc.* Et si quis, non obstante voto castitatis, matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine, etc.*

89. — In quibus autem casibus S. Poenitentiarum absolvere possit, aut dispensare a casibus papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, etc., observa *Lib. VII, n. 470*. Et in quibus casibus dispensare possit in impedimentis matrimonii, vide *Lib. VI, n. 1144*.

88. — <sup>a)</sup> Quandoque accidere potest, ut dispensatio exsequenda sit ante sacramentalem absolutionem. Cfr. *lib. 6, n. 1148, not. a.*

<sup>b)</sup> Proles legitimari nequit, nisi legitimationis facultas fuerit apposita in rescripto. Sed vide *lib. 6, n. 1148, notam b.*